147
98

# De ossibus Capitis.

Duo sunt ossa sincipitis vel verticis, quae vulgo fra-
libus vocant ossa parietaria, et sunt ferè quadrilatera,
sunt tenuiora in parte anteriori ad suturam coronalem,
sunt intus sinus et cavitates, quia cum venae à iu-
gularibus ascendant, et intrant in duram membra-
nam, in ea fit quaedam inaequalitas, ob quam vna quas-
dam cavitates insculptas in ossa ista sincipitis.

Os frontis. Os frontis circumscribitur sutura coronali et osse quod capitis
estque quodammodo orbiculare, et ad regionem superiore
oculorum tenuius, in media vero parte crassius, ad
suturam coronalem, rarissimum et in pueris ferè car-
tilaginosum. In pueritia vero semper est geminum os
frontis, in adultis plerumque est unicum. Sed in quibus
divisum est os frontis, illi frontem maximè gemina-
tam habent, et nasum depressum. Praeterea in osse isto
frontis sunt duo sinus satis insignes, intervallo
distincti, in pueritia non reperiuntur, nec in iis
quorum os istud geminum vel nasus depressus et facies
sima sunt. Et isti sinus sunt foramina in nares
desinentia, quae sunt inania et vacua.

Os occipitis. Os occipitis circumscribitur lambdoide, et ea quae ipsi et
ossi cuneiformi est communis, et est multo crassius
quam ossa sincipitis, et frontis, maximè in ea parte ubi
non tegitur musculis. Nam in eo loco coniunguntur
quatuor sinus membranae cerebri durae, et eo loco laeso facile
incurrit in grave et lethale periculum. Pars autem infe-
rior quae obducta est musculis, firmior facta est a natura adiectis
tuberculis, ubi autem coniungitur ossi cuneiformi insigniter
crassum est, estque ibi perforatum, ut transitum praebeat me-
dullae dorsali. Ad hoc foramen latera sunt duo capitula

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1219/0299
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG